





28


1739, 26.

PROCANCELLARIVS  
CAROLVS OTTO RECHENBERG

SOLEMNIA  
IN AVGVRALIA  
CANDIDATI NOBILISSIMI  
IO. WENDELINI NEVHAVS  
DIE XXIV. SEPTEMBR.  
CELEBRANDA  
INDICIT.

*Singularia quacdam de secundarum  
nuptiarum poenio.*





**L**icitiae semper fuerunt, sed parum laudabiles, atque honestae secundae nuptiae. Auersabantur eas Graeci. Non adeo magnifice de illis sentiebant Carthaginenses. Aegyptii abhorrebant ab ipsis. Romanis scaeui ominis et infaultum connubium, teste APVLLEIO *Apol. II.* p. 543. videbantur, quod luctulenter probat IO. GOTTLIEB HEINECCIVS in *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. C. XVI.* p. 297. seqq. Sed aliae aliis gentibus fuerunt rationes, ob quas tam sinistram de secundis nuptiis opinionem fovebant. Quaedam enim, ob singularem sibi effectae religionis opinionem, aliae ob imaginariam honestatem, nonnullae ob continentiae et vitae asceticae studium, quo in primis nimium deletabantur primitiuae ecclesiae

## IV

clesiae patres, aliae denique ex rationibus politicis, imo quaedam ob intempestuum erga priorem coniugem amorem, cuius in primis elegans exemplum praebet DIDO apud VIRGILIVM Aeneid. L. IV. v. 25.

*Ille meos primus, qui me sibi iunxit amores*

*Abstulit, ille habeat solus seruetque sepulcro*  
 abhorruerunt a nouis nuptiis, seque perpetuae  
 consecrarunt viduitati. Nec multum refragab-  
 or SIM. PETR. GASSERI in Praelectionib. ad  
*Codicem p. 156. seqq.* opinioni, qui gentes, et  
 praeципue Quirites non tam improbabile secun-  
 das, post prioris coniugis mortem, nuptias, v.  
 IAC. CVRTIVS εἰνασῶν L. III. C. IX. in The-  
 sauro Iuris Romani T. V. p. 198. 199. et Nou. II.  
 C. III. Nouell. XXII. Praef. verb. licebat pa-  
 tribus et matribus et ad plures venire nuptias,  
 sed illa, quae post diuertia contraxerunt noua  
 matrimonia, existimat. Eo enim Romae per-  
 venerat effusa diuertendi licentia, vt non tam  
*consulum, quam maritorum, numero annos com-*  
*putarent feminae.* SENECA de benef. L. III.  
 C. XVI. Quod si quis praeterea in animum re-  
 vocauerit, quam leues et friuolae, etiam Christianorum  
 Imperatorum temporibus, fuerint diuor-  
 tiorum causae Nou. CXVII. C. VIII. IX. XII. facile  
 in eam concedet sententiam, petulantem ani-  
 mi leuitatem, repudiatis prioribus coniugibus no-  
 vos

vos sibi quaerendi lecti genialis socios primam  
 haud dubie occasionem dedisse legislatoribus va-  
 rias proponendi poenas in illos, qui omni abiectione  
 pudore et eiurata omni verecundia non tam fo-  
 boli procreandae, quam libidini explendae tam  
 proterue nequiterque studebant: Cuius sanctio-  
 nis causas in *Nou. CXVII. C. VIII. §. 2. et*  
*C. IX. §. 5.* mihi reperiisse video. Princeps ve-  
 ro latarum contra secundas nuptias constitutio-  
 num causa fauor liberorum prioris matrimonii  
 fuit, ut bona paterna scilicet illis conseruarentur.  
 Non, enim, per has leges puniuntur parentes  
 binubi, sed faltem lucrari prohibentur, adeo, ut  
 non possim non subscribere *VLRICI HVBERI*  
 in *Praelect. ad Digesta p. 188.* sententiae, qui  
 has, quas *IVSTINIANVS Nou. II. c. 2. §. 1. et*  
*C. 3.* sed improprie, vocat, poenas secundarum  
 nuptiarum, beneficia liberorum prioris matrimo-  
 nii introducta rectissime appellat; quum rei lici-  
 tate proprie nulla sit poena, et legislatores eapro-  
 pter has tulerint sanctiones, ne prioris tori libe-  
 ri spoliarentur bonis, et ad summam redacti men-  
 dicitatem, et sibi, et reipublicae essent oneri.  
 Certe illa prioris matrimonii beneficia, matu-  
 re in Romana republica obtinuerunt. Iam *LI-*  
*BANII*, nobilis Sophistae aetate lege cautum  
 fuit, ut mater alteri sociata marito ab omni li-  
 berorum ex anteriori matrimonio susceptorum

## VI

excluderetur haereditate, illaque ad auum maternum deuolueretur. Memorabilis et maxime insignis est LIBANII locus, quem ex epistola in MSS. Regio ad IVLIANVM anno 371. nobis conferuauit solertissimus priscarum legum interpres IACOBVS GOTHOFREDVS in *Comment. ad Codicem Theodosianum T. I.* p. 284. 285. edit. Lugdunensis d. a. 1668. et p. 326. edit. Lipsiensis d. a. 1736. et quem veteris iuris nobilissimam particulam illustrantem et vulgo neglectum integrum huc transscribere operae pretium duco. Γαμεῖ γυναικα Μακεδόνιος ἡ παιδίον ἦν ἐπιπροτέρων γύναιων: τὸ δὲ ὄντεται. Εὐλόγεια δὴ οὐληρονόμων ἀντὶ τῆς πάππως τῶν τῆς παιδίων, γενέθλια τὴν τῆς παιδίων μητέρα, πειθομένη γε τῆς πάππως χεήσασθαι Φιλοτιμία, καὶ τὸν μὲν ΝΟΜΟΝ αὐτοῖς φιέντος, πρὸς δὲ τὸν ἔπαιπον ελέποντος. Σὺν τοίνου ὁ ἄθλος πεῖσται τὸν ἀνθρώπων ὅτι μεῖζον πέρδος μὴ λαβεῖν τὰ τοιαῦτα, ἡ λαβεῖν ἔστη δὲ αὖτις φοτέρωθεν πιθανὸς ἐπει τῆς δύνασθαι λέγειν, καὶ τῆς σχήματος τῆς αἱρήσης. ἀκόσια δὲ τὸν πρεσβύτην ἐν Φιμιαίᾳ τε χαίρειν, καὶ σικοπεῖν εἰκότι οὐληστεται μᾶλλον ἡ ὅτι αἰδοστεται: μὴ τοίνον ὀκνήθης καὶ καλέσαι καὶ διαλεχθῆναι καὶ πατασιενάσαι πράξιν Φιλανθρωπότερον ΝΟΜΟΥ. τοιχ πόρφυρω τὲ γαρ αἰσχύνης εἰ τῇ τειςη μὴ χεημάτων, τῷ πατρὶ δὲ ἐπείνης αἴτιος γένοιο δόξης,

i. e.

i. e. *Dicit Macedonius vxorem, cui prioribus ex nuptiis filiolus erat, is vero mortuus est; bonorum autem pueri haeredem matrem aui loco fieri volumus persuaso auo liberalitate vti et omissa LEGE ad laudem respicere. Tuus proinde labor est homini persuadere, eiusmodi res non accipere, maius ius lucrum esse, quam eas accipere, utrinqe autem ad persuadendum eris idoneus, tum ob dicendi facultatem, tum ob imperii vim. Audio vero senem et gloria gaudere, et considerare, non tam quid quantumue acquireret, quam quomodo audiet. Non itaque pigebit te, et vocare, et colloqui, et disponere actionem Lege humaniorum, mox: porro enim procul abest, si diuitiarum quidem matri, illius vero patri gloriae auctor fueris.* Longius progressi sunt Imperatores GRATIANVS VALENTINIANVS, THEODOSIVS, HONORIVS, LEO et ANTHEMIVS, ZENO et IVSTINIANVS, qui certas constituerunt regiones, quas egredi nefas erat parentibus binubis, et liberorum prioris matrimonii rebus, rationibus securitati denique egregie, atque sapienter consuluerunt. *Primo* digami amittunt proprietatem rerum omnium a defuncto coniuge acceptarum, hancque liberis prioris matrimonii relinquere tenentur. *I. 3. et 5. C. de sec. nupt.* Tum secundis nuptiis inquinati haereditatem liberorum prioris matrimonii in se deriuatam caeteris liberis inter-

## VIII

integrā, retento saltem ad dies vitae vſufructū seruare debent, nec vltima voluntate, nec alia quacumque alienatione imminuere possunt. *I. 3.*  
*ſ. 1. C. de ſec. nupt. Nou. XXII. C. XXIII. et XXXII.* Post matri binubae tutela, et educatio liberorum adimitur. *Auth. Sacram. C. quando mu-*  
*lier tutel. offic. I. 1. C. vbi pupillus educari Nou.*  
*XXII. C. XXXVIII. XL.* Amittit illa bona sub conditione viduitatis relictā *Nou. XXII. C.*  
*XLIV.* Non habet ius reuocandi donationes liberis prioris matrimonii factas ob ingratitudinem *I. 7. C. de reuoc. donat.* niſi fit maxima *Auth.*  
*Quod mater. C. de reuoc. donat. Nou. XXII. C.*  
*III.* Non plus de ſuo donare relinquereque potest nouo coniugi, quam vni ex liberis prioris matrimonii, cui minimum obuenit *I. 6. C. de ſec.*  
*nupt. Nou. XXII. C. XXV.* Admittitur contra matrem binubam restitutio in integrum<sup>1</sup> *Nou.*  
*CLV.* quae alioquin liberis contra parentes in *I.*  
*2. C. qui et aduers. quos in integrum,* denegatur. Amittit quoque mater binuba iura prioris mari-  
ti *a. I. 12. pr. de ſenat.* Praeterea testatoris ar-  
bitrio permiferunt, haeredi vel legatorio interdi-  
cere ſecundas non primas nuptias, *Nou. XXII.*  
*C. XLIV. XLIV.* Denique pater, qui ad ſe-  
cunda vota tranſit, filio proprio legatum ſub die  
vel coditione ſoluere iuſſus cautionem legatorum  
ſeruandorum cauſa, a qua alias immunis eſt, praefare

## IX

stare cogitur. *Nou. XXII. C. XLI.* sunt, qui existimant, tolli has poenas, quas leges irrogarunt secundo nubentibus liberorum in secundas nuptias consensu. Strenue hanc opinionem defendunt GAILIVS *L. II. obf. XCVIII. n. 19.* FABER in *Codice L. V. Tit. V. Def. V.* BRVNNEMAN-NVS in *Comm. ad l. 3. C. de sec. nupt.* §. 15. et 16. p. 554. et 555. MAEVIVS in *Comm. ad Ius Lubecense P. II. Art. XXVIII.* §. 17. p. 485. et complures alii. Sed profecto lepide ac praeter rationem. Repugnat enim haec sententia apertae analogiae iuris, et ad exemplum pessima est, quum debitam liberorum erga parentes reuerentiam tollat, et liberis improbum, de actionibus parentum pro libitu statuendi, arbitrium, quod tamen leges vehementer detestantur, relinquat. Patrocinatur sententiae nostrae IV-STINIANVS in *Nou. XXII. C. XXIV.* Eribescit lex castigatores filios genitoribus statuere, aut, vt IOH. FRID. HOMBERG ZV VACH in sua *Nouellarum Versione* p. 267. IV-STINIANI mentem eleganter exprimit: *Pudet legem parentibus liberos praeficere magistros.* Consentit nobiscum VLRICVS HVBERVS in *Praelect. ad Dig. ad Tit. de sec. nuptiis* §. II. p. 162. et AVG. LEYSERVVS *Meditat. ad. Pand. Spec. CCC. Med. XII.* Mutauit postea aliquatenus tristes et seueras has de secundis nuptiis sanctiones in *Nouell. XXII. C. XLVI.* et vniuersum illud de successione matrum binubarum in bonis

B

filio-

## X

filiorum ius ad bina capita reuocauit Iustinianus.  
Aut enim liberi prioris matrimonii vltimam vo-  
luntatem condunt, aut non. Si igitur testamen-  
tum fecit filius, et matri vel vniuersam haeredi-  
tatem vel partem eius aliquam reliquit, redit illa  
ad ipsam et secundum proprietatem et secun-  
dam vsum. §. 1. Si autem intestatus decesserit  
filius, tunc discrimen facit inter ius illud, quod  
defuncto intuitu donationis propter nuptias com-  
petiit, et inter caetera quae reliquit bona. Quod  
priorem casum attinet, confirmat LEONIS et  
ANTHEMII constitutionem in l. 6. C. de sec. nupt.  
obuiam. De altero casu sic disponit in §. 2. Haec  
dicimus in rebus, quae extra nuptialem donatio-  
nem sunt. Quae enim in ILLIS sancita sunt a nobis  
et a LEO NE diuae memoriae constitutione in-  
tegra conseruamus, in quibus solum mater ha-  
beat vnu fructum. De caeteris rebus in haeredi-  
tate filii inuentis §. 3. edicit: Sed in aliis rebus haec  
sancimus et deinceps ipsis tradimus qua cumque  
post nuptialem donationem sunt a patre venien-  
tia in filio, aut ex aliis causis tam ex testamen-  
to, quam ab intestato successionibus aliorum  
omnium, quae de successionibus dicta sunt paren-  
tum in filiis, aut filiorum in parentibus intactis  
manentibus. Caeterum vult, ut hoc in juris ar-  
ticulo, nisi quae expresse mutata sunt ab illo pa-  
reatur generalibus Constitutionibus et singillatim  
legi in principio Capitis huius allegatae ad HER-  
Mogenem XVII. Kal. Aprilis scriptae, hoc est  
Nouel-

*Nouellae Constitutioni secundae.* Non possum  
igitur non mirari praecipuos et prope omnes do-  
ctrinae Iuris systematicae ac compendiariae in-  
terpretes in hoc grauiter lapsos esse, quod sine  
discrimine solerter a IVSTINIANO cit. Nou.  
habito, in omnibus iis, quae mater binuba ex  
successione liberorum prioris matrimonii acce-  
pit, vsumfructum saltem ipsi attribuerint, BER-  
GER Oecon. Juris L.I. T.3. §.8. n.1. STRVV.  
Jurispr. For. L.II. t.30. §.7. MENCKE Th. et Pr.  
ad t. de rit. nupt. §.15. MEVIVS ad Jus Lubec.  
P. II. tit. 2. art. 38. n. 27. SC. GENTILIS et sec. nupt.  
c. 9. §. 50. OTTO TABOR. Dec. an Conf. n. 142.  
n. 42. SVRDVS Conf. 169. n. 63. AVG. BARBOS.  
Theſaur. Cap. de Nupt. sec. n. 46. nec ad §. 3. sub-  
ſequentem C. XLVI. cit. Nou. oculos animumque  
attulerint. Ius Canonicum confirmauit iuris ciuilis  
decreta in notabili c. 67. X. de app. conf. MEVIVM in  
Comm. ad Jus Lubec. P. II. Art. XXVIII. n. 3. p. 476.  
Id addendum est, in illis terris, in quibus suus adhuc  
prisco iuri Saxonico constat honos, exulare plane  
harum constitutionum vsum. Neque, enim hae  
facile conciliari potuerunt cum Spec. Sax. L.I.  
art. XX. et L.III. art. 76. Quapropter CARPOZOVIVS  
P. II. Concl. XLIII. Def. XVII. BERLICHIVS P. III.  
Concl. XXIX. n. 46. et BERGERVS in Oeconomia iu-  
ris L.I. Tit. III. §. 8. p. 107. harum constitutionum  
vsum plane negant, LEYSERVVS in Med. ad Pand.  
Spec. CCC. Med. III. Et quoad Saxoniam Electo-  
ralem et illas terras quae iure prouinciali Saxonico

## XII

reguntur res extra omnem controversiae aleam posita est. At extra Saxoniam, et in illis locis, qui nuntium miserunt priscis iuribus Saxonicis, secundum titulum *Cod. de sec. nupt. et Nouellam* XXII. rectissime iudicatur. Nec defunt regiones in quibus veteres illae Romanae de secundis nuptriis constitutiones adhuc auctoritatem habent. In Suecia harum legum nostra etiam aetate constantissimus usus est, vti patet ex Legum prouincialium Sueciae regni a CAROLO IX. confirmatarum et a. 1608. publicatarum *Tit. II. C. XVI. et XVII. editionis Loccenianae Londini Scanorum* 1675. euulgatae p. 55. et 56. et mandato GVSTAVI ADOLPHI 1618. publicato *Tit. II. C. XII. et XIII. edit. Loccenianae Londini Scanorum* procuratae p. 44. 45. In Bauaria et ciuitate Imperiali Norimbergensi has constitutiones obseruari docet BRVNNEMANVS ad *L. 10. C. de sec. nupt. n. 7. p. 55.* Francofurtum rigidissima harum legum custos est, teste SICHARDO P. II. *Conf. XXXIII. n. 11. 12. seqq.* Idem confirmat Pfalz-Zweibrückische Lands-Ordn. *Tit. 100. §.* Aber die Mutter ac Giulichische Ordnung, und von Succession und Erb sub rubr. Wie Vater und Mutter und andere Eltern ihre Kinder erben, so sich in zweyten Ehe begeben, et ad urbis WIMPINAE Ordin. et Reform. *Tit. IX.* prouocat FRIDERICVS SCHRAGIVS in *Diff. de successione parentum binuborum in bona liberorum ex priori matrimonio intestatorum C. III. §. 3.* Singulare quoque est et annotari meretur, quod quum iura beneficiaria communia, alio-

## XIII

alioquin non inimica sint secundis nuptiis nihilominus iura Porussica feudalia feminam binubam altera feudi parte priuent. Audiamus legislatorum L. VII. T. IV. §. 2. Solte sich auch zutragen, daß dieselbe Schwester nach ihrer ersten Ehe sich anderweit verheyrathen würde, uf welchen Fall ihr halbes Guth, nehmlich, wenn sie keine Kinder aus der ersten Ehe hat, an ihre Schwester versiele. Idem luculentius dicitur in *constituzione ALBERTINA d. a. 1540. §. 10.* Im Fall einer Erb Tochter ihr Mann ohne Erben verstürbe, solle sie, wo sie sich weiter nicht verheyrathet im Lehn-Guth, so lang sie lebet, gelassen werden. Wenn sie sich aber weiter verheyrathen soll, so solle ihr die Helfste des Lehen-Guths, so sie zum Mann gebracht, erblich übergeben, und die andere Helfste dahin das Magdeburgische Priuilegium weiset, kommen. IO. PETR. DE LVDEWIG in *Dissert. Iuris Feudal. Boruss. atque Comm. Differ. XXXI. in opuscul. Miscell. T.I. p.779* sed quum vnice in fauorem liberorum prioris matrimonii introductae receptaeque sint hae legum civilium sanctiones, facile ratio reddi poterit, cur cessent secundarum nuptiarum poenae, quando vel liberi prioris matrimonii non extant l. 3. C. de sec. nupt. Nou. XXII. C. XXII. XXVI. vel coniux defunctus superstiti has poenas remiserit Remittere autem posse testatorem hasce poenas coniugi expressè edixit in Nou. XXII. C. XII. IVSTINIANVS, ut mirum sit, esse inter iuris interpretes

XIV

pretes aliquos, qui de hoc dubitent. Nobis sufficit hac occasione singularia quaedam de secundarum nuptiarum poenis ad restituendum §. 2. et 3. C. XLVI. Nou. XXII, attulisse, et populares errores, qui hanc doctrinam inuaserunt, ex iurisprudentia eiecisse. Plura addere non licet: vindicat enim sibi, quod superest chartae et temporis *Clarissimus Candidatus*

IO. WENDELINVS NEVHAVS,

*Lipsiae* huius saeculi anno decimo tertio natus Patre *Dn. Christiano Neuhause* Mercatore, et Matre *Ioanna Elisabetha B. Ioh. Wendelin Voelckeri*, itidem Mercatoris florentissimi filia. Primam aetatem partim sub priuata praeceptorum institutione, partim in schola Nicolaitana bonis literis consecrauit, multumque praeterea debebare se Viro Summe Reuerendo *D. Carolo Gottlob Hoffmanno*, iam designato in Academia Wittenbergensi Theologiae Professori, gratus profitetur, quo duce in humanitatis studiis per biennium vsus est. Albo Academic o A. 1730. a Rectori tum temporis Academiae, *Dn. D. C. G. Gaertnero*, inscriptus est, eodem anno in Academiam, quae Harderouici in Geldria floret missus Philosophiam apud *Cornelium Houtenium*, Philosophiae Professorem publicum audit, humanioresque literas apud *Cl. Strucht-meyerum* Eloquentiae et Graecae Linguae Professorem vterius excoluit. Iura docentem audiuit

diuit F. W. Pagenstecherum, Antecess. Iur. sed  
in primis Gottfr. Mascouii, ICti, tum in Harde-  
rouicensi, nunc in Goettingensi Academia Pro-  
fessoris fidem atque benevolentiam depraedicat,  
quem per quatuor annos et Praeceptorem fide-  
lissimum et hospitem humanissimum expertus  
est. Sub eius Praesidio etiam an. M DCC XXXIII.  
*Dissertationem de Constituto Possessorio publi-*  
ce proposuit. Exacto apud Harderouicenses  
quadriennio antequam in patriam reuerteretur,  
peregrinationem per reliquas foederati Belgii  
provincias instituit, atque in Academiis praefer-  
tim Clarissimos fama et eruditione viros saluta-  
re, atque ex illorum colloquiis proficere studuit.  
Cl. Schultingio, Westenbergio, Vitriario, et Pe.  
Burmanno Ulraiecti, Eberb. Ottoni, et Voordae  
Amstelodami, Siebenio et Dorwillio, nec non  
Verburgio innotuisse, inter suauissimos eius pe-  
reregistrationis fructus reputat. In Angliam de-  
inde profectus Oxoniensem in primis, et Canta-  
brigensem Academiam perlustravit. Denique  
per Belgium Hispanicum in Germaniam reuer-  
sus, cum patrias Musas reuisisset, Dn. D. Jo.  
Jacobum Mascouium, Consiliarium aulicum  
quem semper velut alterum Parentem coluit, au-  
ctorem ac moderatorem studiorum suorum ha-  
buit, ipsumque Historiam, Ius Publicum, Cano-  
nicum, et Feudale tradentem sedislo audiuit.  
Apud Dn. D. Andream Florentem Riuinum,  
colle-

## XVI

collegio in quo Theses Iuris controuersi selectae priuatis disputationibus ventilantur, vt et collegio repetitorio Pandectarum interfuit. *Dn. D. Hommelium Professorem, et Ordinis Iuridici Assessorem in forensi disciplina ducem sibi selegit.* Atque interea ab Amplissimo Ciuitatis senatu, in Album Notariorum relatus, tam in priuatis in lure repetitionibus, quam tractandis aliorum negotiis periculum aliquod fecit. Nunc studiis suis praecipuum a nostro ordine testimonium pettit, ad vtrumque examen admissus expectationem nostram impleuit. Proxima mercurii die *l. 4. C. de Solut. et Liberat.* publice explicabit, die vero XXIV. Sept. exercitationem inauguralem *ad L. Petilliam de Obaeratis Debitoribus* sine praefide defendet. Hac finita Vir Consultissimus et Excellentissimus IOANNES FRIDERIGVS HOEKNER, *Jur. Nat. et Gent. Professor, Facultatis nostrae Adsestor et Cur. Suprem. Prou. vt et Confistorii Lipsiensis aduocatus,* ex decreto Ordinis nostri Promotor a me rite constitutus, Doctoris vtriusque iuris dignitatem ei tribuet. Quem actum, vt RECTOR MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES, PROCERES et CIVES Academiae nostrae praesentia sua exornare dignentur, ea qua parest, observantia et humanitate rogo et contendo P. P.

Lipf. Dominic. XVII. post F. Trinitatis.

An. CIC 1559 XXXIX.

---

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

**ULB Halle**  
003 898 946

3



56.







2  
1739, 26.  
**PROCANCELLARIVS**  
**CAROLVS OTTO RECHENBERG**  
**SOLEMNIA**  
**IN AVGVRALIA**  
**CANDIDATI NOBILISSIMI**  
**IO. WENDELINI NEVHAVS**  
**DIE XXIV. SEPTEMBR.**  
**CELEBRANDA**  
**INDICIT.**

*Singularia quadam de secundarum  
nuptiarum poenit.*